nus instituto nostro satis est; Constat enim quòd propter rem sit in Politicis ad amussim & accuratissimè omnia definire velle, quinimò dicente Aristotele 1. *Eth. cap.* 3. tanta in unaquaque arte ac disciplinâ, desideranda est subtilitas, quantam natura ejus & ratio patitur, cùm igitur Prudentia civilis versetur circa maximè contingentia, sufficit, si proponat definitiones, naturam definiti populariter, sive ut ajunt, pingui Minervâ declarantes. Hinc itaque contrahendo anteriorem illam definitionem, licebit rationem status definire; quod sit Sagacitas in intellectu Practico, dirigendi media ad salutem Imperii & Imperantis; Dixi sagacitas in intellectu Practico, quia intellectus Practicus juxta prædicta est proprium Rationis Status subjectum, addidi; dirigendi media, quia immediatum objectum rationis status sunt varia stratagemata & maximæ Politicæ, pro re natâ ex arcanis Reipubl. emergentes, subjunxi; ad salutem Imperii & Imperantis, nam ea est meta & finis, ad quem Ratio Status collimat, & quidem in singulari tantùm numero